Quelle: http://manuscripta.at/?ID=957
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

certus domesticus a gundibaro patricio. totius exercitus uoluntate apud
rauennam imperator efficitur. Anno deinde sequenti inopinate nepos patricius
cum exercitu ueniens. licerium exuit regia potestate. eumque apud salo-
nam dalmatiarum urbem episcopum ordinauit. Eo tempore cum apud tolosam vuisigotorum
populis regnaret euricus. ac per italie gallieque fines inter nepotem et euricum
litium fomita extitisset. bellumque e diuerso utrimque pararetur. interueniente
epiphanio de quo premissum est. ticinensi episcopo. federis inter eos iura firmata
sunt. Haut procul ab his temporibus theodoricus cognomento strabo triarii filius
cum magna ostrogothorum multitudine usque ad quartum urbis miliarium
aduenit armatus. nulli tamen romanorum nocuit. continuoque in illiricum reuersus
extinctus est. Exigit nunc locus dicere. quam ob causam gothorum alii ostrogothe
alii uero uuisigothe sint dicti. Oportunumque est aliquantulum ad superiora
tempora regredi. quatenus horum origo uocabulorum possit exponi. Temporibus ua-
lentiniani superioris augusti cum intra scithie fines gothorum gens ipsa commu-
niter habitabat. ispanie per athalaricum regiones. ab occidente vuisi-
gote. id est occidentales sunt appellati. Leo igitur augustus postquam orientale .xvii.
annis rexit imperium. diem clausit extremum. Mortuo leone. zeno continuo
augustalem nactus est dignitatem. Leonem itaque de quo premissum est. quem pater
in regni asciuerat potestatem. mater sua zenonis insidias formidans.
occulte clericum fecit. exigenteque uehementer zenone ut filium proderet.
pro eo alium forma similem optulit. Qui leo deinceps in clericatu usque ad
iustiniani tempora uixit. Ipso denique tempore augustulus apud italiam aduersus nepo-
tem cum exercitu ueniens. effugato eo. imperii regimen inuasit. Annali de-
inceps circulo euoluto. cum rege vuandalorum geiserico fedus initum est
ab oreste patricio. Hec dum apud romanos geruntur. odouacer cum fortis-
sima herolorum multitudine fretus. insuper turcilingorum seu cirorum auxi-
liis. italiam ab extremis pannonie finibus properare contendit. Qui cum
benedictione percepta. ab eius egredi cellula uellet. et capite ne in superlimi-
nari ostii eo quod procere esset stature alliderit inclinasset. a dicto uiro fu-
turorum prescio mox talia audiuit. Vade nunc ad italiam. uade odouacer

Beato Seuerino — Qui cum adhuc per noricorum rura exercitum duceret. cognita fama seuerini christi domini
serui. qui illis tunc degebat in locis. ad eum sue benedictionis petiturus accessit.